

detrahat in ruinam, utili cautela procuratum est necessarieque compertum, vt super quibuslibet actis scripta conficiantur authentica, quibus, dum oportunum fuerit, ueritas certissime comprobetur et dubietatis questio penitus dissoluatur: Ex harum igitur inspectione literarum Nos, Nicol de Lyzen, Johannes de Blankenuelde, Conradus quondam prefectus in Baruth, Conradus de Beliz, Consules Ciuitatis Berlyn, cum vniuersitate loci ejusdem, volumus in manifestam et publicam noticiam deuenire, quod nostris delectis nobis sartoribus prope nos in nostra ciuitate Berlyn morantibus, qui a nobis suam tenent iusticiam, damus libertatem astandi eo jure et perfruendi, quo sartores ciuitatis Brandenburg a primeua eiusdem ciuitatis constructione perfruerunt. Volumus eciam vt quicumque ipsorum opus adquisierit, pro ipso acquirendo dabit IV or sol. denariorum et II talenta cere, de quo percipit ciuitas nostra II sol. denariorum et domus sancti spiritus dimidium talentum cere et domus leprosorū dimidium talentum. Reliqui II solidi et vnum talentum cere in vsus sartorum diuertuntur. Presertim volumus quod nullus deferat tunicas frustatas seu capucia aut coltas uel iopas in foro rerum venalium venales preter nudinas quod interpretatur forum annuale. Preterea volumus: quicumque aliunde veniens adquisierit opus sartorum, pueri sui non habent participium cum eodem; sed pueri postea nati videlicet puella dimidiam partem operis, seruus vero totum opus, sicut pater, possidebit. Volumus eciam, quod nullus sarcire debeat, nisi primo adquisierit id quod dicitur burscaph Et fraternitatem sartorum. Volumus eciam sub modo districto conseruari, Si quis furando uel falsificando excesserit, eiciendus erit a gulda; ita quod amplius eidem nunquam detur facultas ipsum opus exercendi. Vt igitur hec nostre donacionis concessio rata perseueret Presentes litteras nostri sigilli appensione firmatas, eisdem duximus concedendas. Datum per manus nostri notarii Johannis de Barboie. Actum anno domini M^o CC^o LXXXVIII^o IIII^o Jdus Aprilis.